

catholicarum quam plurimum auctoritatem sequatur, inter quas sane illae sint, quae apostolicas sedes habere, et epistolas habere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in Scripturis canonicis, ut eas, quae ab omnibus accipiuntur ecclesiis catholicis, praeponat eis, quas quaedam accipiunt: in eis vero, quae non accipiuntur ab omnibus, praeponat eas, quas plures graviusque accipiunt, eis, quas pauciores minorisque auctoritatis ecclesiae tenent ».

Ex hisce vero omnibus constat, multipliciter versionum varias afferre utilitates, et facile intelligi, quoniam versio aliis praefenda sit: neque a tanta multiplici versione timendam mutationem ac corruptionem sacrorum librorum. Ex hoc ergo capite contra integritatem evangeliorum nihil deistae, aliive increduli concludere possunt.

Ad 2. denuo iuvat in medium proferre doctrinam *Briani Waltoni*, qui modum et media discernendi inter variantes s. Scripturae lectiones, et veram eiusdem intelligentiam conservandi docet his verbis (1): « Multum enim facit ad veram lectionem tum conservandam, tum restituendam, eiusque rectam intelligentiam, codicum innumerorum consensus mirus in omnibus quae religionis substantiam spectant, veritatem divinam multum confirmant, Deique curam specialem circa hos libros demonstrant ». Et num. 6 ita pergit: « Praeterea notandum est, dari media certa, quibus vera lectio, cum codices discrepant, stabiliri potest: scilicet analogia fidei, antiquorum scripta et commentaria, antiquae versiones, codicum antiquorum collatio, maxime vero ipsa Scriptura, in qua antecedentium et consequen-

(1) In Prolegom. 5 ad Biblia, n. 5.

tium consideratio, et locorum parallelorum et similium observatio, multum ad veram lectionem conferunt. Nam illa lectio, quae cum antecedentibus et consequentibus, et cum locis parallelis consentit, et analogiae fidei consona est, vel cum aliis bonae notae codicibus concordat, et ex antiquis patrum ecclesiae scriptis corroboratur, procul dubio pro vera et genuina habenda est. »

Verum etiam *Bellarminum* hae de re disserentem audire praestat: « Ceterum, inquit (2), non tanti momenti sunt eiusmodi errores, ut in iis, quae ad fidem et bonos mores pertinent, Scripturae sacrae integritas desideretur. Plerumque enim tota discrepantia variarum lectionum in dictionibus quibusdam posita est, quae sensum aut parum aut nihil mutant ».

Porro mirandum non est, variantes esse lectiones in iis, quae neque fidem, neque mores concernunt. Cum enim ista citra fidei morumque variationem mutari potuerint, facile fuit, ut errata aliquorum inemendata permanserint, atque ita contingerit, ut variae dein lectiones obtinerent, quae tamen haud adeo difficulter corrigi possunt, ut constat ex iis quae ex *Waltono* paullo ante observavimus. In aliis vero, quae sunt morum atque fidei, lectio variari non potuit, quin ipsa fides, atque morum praecepta mutarentur: hoc autem, cum contra fidem, et morum institutionem, quam omnes semel receperant, cuiusdam aut aliquorum suasionem fieri non posset, ideo quoad ea, quae spectant fidem atque mores, nulla in lectionibus Scripturae ab ecclesia catholica approbatæ variatio introducta est.

Denique contra deistas aliosque incredulos ita argumentamur: vel

(2) L. 2, de verbo Dei, cap. 2.

libri evangelistarum et apostolorum propter variationes, quae in rebus levissimi momenti irrepererunt, reiiciendi non sunt, vel reiiciendi sunt. Si primum, habemus quod volumus: si alterum, ergo et profani scriptores e. g. *Livii, Suetonii etc.* scripta reiici debent, cum in eorundem libris non solum variae lectiones, sed etiam multa errata, quae ab amanuensibus vel librariis venere, saepe occurrant. Cur ergo deistae aliique increduli horum testimonia tanta confidentia citant, atque celebrant? Cur eisdem ad impugnanda dogmata christianae religionis tam saepe abutuntur? Ceterum profanorum scriptorum exemplum, quod adduximus, est valde dispar. Nam multo aliter invigilat Dei providentia, ut sacros Scripturae codices ab ecclesia catholica approbatos ab errore praestet immunes, saltem in iis, quae fidem et salutem spectant.

Quare, omnibus consideratis, increduli ex multiplici lectionum variantium nihil contra authenticam evangeliorum aut aliarum divinarum Scripturarum auctoritatem evincere possunt.

AD TERTIUM responsio facile colligitur ex dictis (1), et ex infra (2) dicendis. Illud hic tantum superaddo seu potius repeto, quod, praescindendo etiam de divina peculiari providentia, qua integritati sacrorum librorum prospectum esse debuit, et hucusque fuit; tamen semper iidem sacri libri remanere debuerint incorrupti. Quandoquidem, ut iam supra (3) monuimus, suae fidei depositum in s. Scriptura contineri semper christiani existimarunt, notumque est toti orbi qualia et quanta sint, quae pro defensione suae fidei omni tempore passi fuerint, quantumque diligentiam praesides eccle-

(1) Vide praecedentem num. 4.

(2) V. seq. n. 10, q. 4.

siarum, doctores, atque magistri semper adhibuerint, ut fides sine mutatione pura et integra consisteret. Unde nullatenus dubitandum est, quin praesides ecclesiarum, doctores etc. atque christiani omnes maxima, qua fieri potuit, diligentia curarint, ne sacri libri mutarentur atque corrumpere: sicque semper integros et incorruptos conservarint. Certe si ii quoque libri ad nos integri pervenere, qui ut servarentur, nullius hominis tanti interesse poterat, quantum christianorum omnium undequeque diffusorum intererat, ut sacra Scriptura integra atque incorrupta servaretur, propter diuturnitatem temporis variasque rerum vicissitudines dubitare nullus sanae mentis potest, utrum evangelia aliique libri sacri ad nostram usque aetatem incorrupti perstiterint. Unde repeto argumentum, quod tanquam retorsione contra deistas aliosque incredulos supra iam usi sumus, et ex his quaero: Cum ab aetate veterum scriptorum ethnicorum tam longe remoti simus, quomodo post tam longam seriem temporum, post tam multiplices variasque rerum vicissitudines libri ethnicorum incorrupti ad nos pervenerunt? Quomodo, licet quoad conservationem horum librorum ea peculiaris ratio non detur, quae iuxta superius (4) dicta quoad conservationem librorum sacrorum certa atque manifesta est, quomodo, inquam, adversarii tamen ipsi illorum scriptorum ethnicorum testimonia tanquam vera, integra, atque incorrupta laudant, nobisque saepe opponunt? Numquid hac agendi ratione se studio partium per summam iniquitatem abreptos demonstrant?

AD QUARTUM dico, necesse non esse, ut quoad rem istam in sce-

(3) Num. 4.

(4) Num. 8 ad secundum.

pticismum delabamur, sicuti *Cogitationum philosophicarum* auctor (1) inepte contendit. Ipse quidem est turpi scepticismo involutus, vel saltem quoad ea quoque, quae evidentia sunt, involutum se esse praesert: quoad christianos vero saltem romano-catholicos nihil tale confingi potest. Nam horum polemicorum et theologi dogmatici, antequam ex Scriptura tanquam libro divino infallibilitatem ecclesiae probent, prius ex *motivis credibilitatis* (uti vocant), hoc est ex prophetiis iam impletis, ex evidentia miraculorum etc. ostendunt, genuinam religionem christianam esse a Deo institutam, adeoque libros, quos asserit esse divinos, revera esse tales, ac consequenter eosdem esse infallibilis auctoritatis. Tum primum ex infallibilitate Scripturae sic demonstrata inferimus infallibilitatem ecclesiae, quae in Scriptura manifeste asseritur: sicque in nullum scepticismum incidimus, omnemque *circulum*, ut aiunt, *vitiosum* evitamus; prout nostri theologi dogmatici et polemici (2) in tractatu de fide vel religione fuse et distincte explicare

(1) Ita arguitur auctor libelli: *Pensées philosophiques*.

(2) Vide cl. *Carolus Sardagna*, tom. 2 Theologiae dogmatico-polemicae tract. 5, controvers. 2, n. 163, pag. 413 et 416; aut cl. *Thomae Aquin.* Mayer tractatus praevii de vera religione et ecclesia partem alteram, q. 4, art. 1, n. 957 et 958, ubi sic ait: « Nota nos... infallibilitatem Ecclesiae independentem a Scriptura probavisse rationibus et argumentis, certitudinem saltem moralem parientibus. Unde nobis obici non potest... circulus vitiosus, quasi Scripturam divinam unice probemus ex infallibili ecclesiae iudicio; et vicissim infallibile ecclesiae iudicium unice ex Scriptura divina. Licet enim primum sit verum; tamen secundum est falsum, ut patet ex modo dictis. Quando igitur infallibilitatem Ecclesiae etiam ex Scriptura divina probamus, tunc in primis haec probatio est aliquod *argumentum ad hominem*, haereticum nempe, vel alium,

solent, apud quos deistae aliique adversarii, si huius rei diligentem accuratamque explicationem desiderant, uberiores etiam et accuratorem invenient quam ipsi putant.

Ex his satis constat, quam inepte hac quoque in re, sicuti in cunctis aliis, auctor *Cogitationum philosophicarum* processerit, dum ad scepticismum provocavit. Equidem specioso *philosophicarum Cogitationum* nomine, quod suo impiissimo libello apposuit, illudere imperitis ipse studuit, dum principia christianae religionis evertere pessime allaboravit; *verum*, ut cl. *Thomas Cerboni* (3) ait, *irrito sane conatu, cum in eius libello nihil occurrat, quod, non dicam philosopho, sed ne sano quidem homini persuaderi possit.*

10. QUÆRES IV. *An historia evangelica propter successionem longi temporis a Christo in terris ambulante usque ad nos, nihil de sua certitudine amiserit?* R. et dico nihil de sua certitudine amisit. Nam, uti per se cuilibet patet, certitudo rei alicuius pendet ab argumentis ipsius credibilitatis: ergo si, quamvis longum tempus fluxerit, argumenta

qui iam aliunde, et independentem ab infallibili Ecclesiae declaratione, admittit Scripturam divinam; tametsi talis homo id aliunde infallibiliter scire non possit. Deinde argumentum istud est etiam aliqua confirmatio assertionis nostrae (de infallibilitate Ecclesiae). Nam primo ex *motivis credibilitatis* probamus, ecclesiam romano catholicam esse *veram Christi Ecclesiam*; ac proin omnia etiam dogmata illius esse vera. Secundo ex... hoc principio ulterius inferimus, probamusque s. Scripturam esse verbum Dei; quia nempe ecclesia vera et infallibilis hoc docet. Tertio ex Scriptura autem divina, sic certo iam cognita, ipsa ecclesiae infallibilitas, quae iam prius aliunde erat primo probata, ulterius, et quasi secundo probatur et confirmatur, sine ullo vitioso circulo.

(3) Theologiae revelatae l. 5, q. 5, art. 5 in fine.

credibilitatis eadem perseverent, ipsa res eodem modo credibilis persistit; ergo successio temporum de certitudine rei alicuius nihil detrahit. Unde contra apertam rationem insanierunt, qui propter successionem longam temporum certitudinem alicuius facti, e. g. historiae evangelicae de gestis Christi Domini, minui, ac tandem evanescere, geometrica methodo se demonstrare somnati sunt (1). Fanaticos hos somnatores egregie ac solide confutat cl. *Thomas Cerboni*, cuius hac de re doctrinam et verba iam alibi (2) prolixè recitavimus, ex quibus manifeste patet, etiam historiam evangelicam ob longi temporis a Christo et evangelistis usque ad nos successionem nihil de sua certitudine amisisse; cum testimonium quatuor evangelistarum de vita, gestisque Christi firmissimos veritatis characteres quos (3) ante annos plus quam mille septingentos habuit, etiamnum habeat.

11. QUÆRES V. *Unde sciamus, quod ex variis et multis, quae ab exordio ecclesiae in lucem prodire, evangelis haec quatuor (MATTHAEI, MARCI, LUCAE et IOANNIS) genuina sint? Et cur haec sola in canonem sacrorum librorum fuerint recepta?* R. Hoc scimus ex antiquissima traditione patrum et scriptorum ecclesiasticorum, *Irenaei, Origenis, Tertulliani et Augustini*, quorum verba iam supra (4) attulimus: imo ex iu-

(1) Hoc *Triguient*avit theolog. Christ. princip. Mathem. cap. 11, propos. 17, qui etiam eo usque insipientiae devenit, ut post ter mille quingentos a Christi ortu annos evangelicam historiam amplius probabilem futuram non esse, divinare non dubitaverit.

(2) Vide Scriptur. s. contra incredulos propugn., V. T., part. 6, sect. 1, quaeres 15, n. 39.

(3) Vide infra sect. 2, quaeres 1, n. 20.

(4) Num. 2.

dicio summorum pontificum *Innocentii I et Gelasii I*, ac universae ecclesiae ad finem concilii florentini in decreto pro armenis, et in Tridentino dicta quatuor evangelia canonis sacrorum librorum insertum (5). Ceterum non diffitemur, ab exordio ecclesiae multa adhuc alia circumlata esse evangelia, s. *Petri, s. Thomae, s. Bartholomaei, s. Matthiae*, etc. (6). Cur autem ex tot evangelis sola illa quatuor s. *Matthaei, s. Marci, s. Lucae et s. Ioannis* ab ecclesia tanquam divina, seu Deo dictante conscripta, sacrorum librorum canonis inserta sint, ratio est, quia ecclesiae quae a Spiritu s. regitur, maiorem certitudinem de horum, quam de aliorum evangeliorum divinitate habuit, ut s. *Augustinus* (7) recte observavit, et nos alibi (8) ostendimus.

12. QUÆRES VI. *An quatuor evangeliorum (MATTHAEI, MARCI, LUCAE et IOANNIS) omnes partes canonicae sint?* R. Omnes partes horum quatuor evangeliorum, prout in nostra vulgata latina continentur, canonicae sunt, seu ab ecclesia in Tridentino (9) solemniter declaratae, quod sint verbum Dei scriptum. Equidem fatemur, quasdam horum evangeliorum partes esse dumtaxat *deuterocanonicas* (10), hoc est, de illarum divina auctoritate aliquamdiu inter ipsos orthodoxos fuisse dubitatum. Hae partes sunt tres, nimirum *Marci caput ultimum, historia de Christi*

(5) Vide Script. s. contra incredulos propugn., V. T., part. 4, sect. 1, n. 1-3.

(6) Vide *Calmelii* dissertationem de apocryphis evangelis, aut eiusdem dictionarium biblicum artic. *Evangelium*.

(7) L. 1 de consensu evangelistarum, cap. 1.

(8) P. 4 Scriptur. s. contra incredulos propugn., V. T., sect. 1, n. 1.

(9) Sess. 4 in decreto de canonicis Script.

(10) Vide Script. s. contra incredulos propugn. V. T., p. 4, sect. 1, n. 1.

sudore sanguineo, angelique apparitione et consolatione, *Luc. cap. 22*. Et historia de muliere adultera, *Ioan. cap. 8*. Verum hodie non amplius licet de harum partium divina auctoritate dubitare, postquam ab ecclesia in Tridentino loc. cit. omnes libri vulgatae nostrae cum omnibus suis partibus sunt declarati canonici, et quidem merito (1).

13. OPPONES I. Tempore s. Hieronymi (2) caput ultimum Marci non fuit ab omnibus receptum tanquam canonicum propter quaedam verba huic capiti inserta (3), quae satis aperte manichaeismum redolebant, et erant sequentis tenoris: « Et illi satisfaciebant, dicentes: Seculum istud iniquitatis et incredulitatis substantia est, quae non sinit per immundos spiritus veram Dei apprehendi virtutem, idcirco iam nunc revelā iustitiam tuam: » ergo caput ultimum Marci immerito postea insertum est canoni s. Scripturae. R̄. Conc. ant. neg. cons. Nam reiectis illis verbis sacro textui assutis, ac, uti *Michaël Medina* (4) ait, *evangelica gravitate et Spiritus sancti tinnitu carentibus*, reiectis, inquam, his verbis, caput ultimum Marci est retinendum, ac ab ecclesia retentum, tanquam genuinum verbum Dei scriptum. Tridentinum enim (5) iubet *libros integros* tanquam divinos recipi *cum omnibus suis partibus, prout in ecclesia catholica legi consueverunt*. Legitur autem caput ultimum Marci in festis resurrectionis et ascensionis Christi, et idem exponitur a *Beda*, et a s. *Gregorio* (6). S. *Augustinus*

(1) Ibid. n. 1-5.

(2) Vide s. Hieronymi epist. ad Hedibiam. q. 5.

(3) Vide s. Hieronymi l. 2 contra Pelagianos ante medium.

(4) L. 6 de recta in Deum fide, c. 18.

(5) Sess. 4 in decreto canonicis Scripturis.

quoque (7) hoc caput ut vere Marci agnoscat. Denique incredibile est, Marci evangelium ita mutilum et truncum esse, ut nihil de resurrectione Christi (de qua in capite ultimo Marci sermo est) contineat. Accedit, quod ipse *Calvinus* (8) ultimum hoc caput fateatur esse partem evangelii s. Marci.

14. OPPON. II. Historiam *Luc. c. 22 de sudore Christi sanguineo, et angelica apparitione et consolatione* quidam, teste *Hilario* (9) et *Hieronymo* (10), in dubium revocabant, et quidem ex causa, ut videtur, non vana, ne nimirum Christo infirmitatem et dolorem animi tribuere viderentur: ergo. R̄. Haec causa nequaquam fuit sufficiens historiam illam excludendi evangelio s. *Lucae*. Nam si Christus secundum naturam humanam assumptam potuit imminente passione pavere et taedere, ut s. *Matthaeus* (11), et s. *Marcus* (12) in evangelio suo testantur; cur non eadem ratione sudare, et angelicam consolationem admittere potuit? Moeror nimirum iste, sudor et agon voluntarius in Christo erat, qui eidem sese sponte tradidit, tum ad expianda noxia gaudia nostra; tum ad ostendendam veritatem humanitatis suae talia patientis; simulque ad nos docendos, quomodo in eiusmodi afflictionibus animi aut corporis nos gerere, nostramque cum divina voluntate conformare debeamus. Ceterum plura de sanguineo Christi sudore invenies in speciali hac de re dissertatione, quam *Calmeli* commentario in evangelium s. *Lucae* praefixam reperies. Etsi igitur olim

(6) Homil. 29 in Evang.

(7) L. 5 de consensu Evangelistarum, cap. 24.

(8) Instit. c. 47, § 47.

(9) L. 10 de Trinitate.

(10) L. 2 contra Pelagianos.

(11) Cap. 26, v. 57 et 58.

(12) Cap. 14, v. 53 et 54.

in nonnullis codicibus graecis et latinis ea historia de Christi sudore sanguineo, et apparitione ac consolatione angelica erasa fuerit a quibusdam privatae superstitionis hominibus: nihilominus tamen ecclesia catholica illam ut genuinam evangelii s. *Lucae* partem semper ac optimo iure agnovit. Extat enim haec historia tum in plerisque graecis et latinis codicibus, tum in versionibus antiquioribus; commemoratur a praecipuis patribus *Irenaeo* (1), *Iustino* (2), *Augustino* (3) et pluribus aliis. Neque *Hilarius* et *Hieronymus* locis supra in obiectione citatis contrarium docent, sed tantum monent historiam illam non in omnibus codicibus suo tempore fuisse, et propterea non ita certae fidei habitam. Ex quo plus non sequitur, quam hanc partem evangelii s. *Lucae* non esse proto-canonicam, quod ultro concedimus: non autem, quod non sit deuterocanonica (4).

15. OPPON. III. Initium capituli octavi s. *Ioannis*, quo HISTORIA ADULTERAE continetur, in variis veteribus codicibus desideratur, uti et in versione syriaca et coptica: ergo canoni sacrorum librorum non fuit inserenda. R̄. Conc. ant. neg. cons. Nam nihilominus extra dubium est, quin ea et historia sit, et evangelica, cum legatur in ecclesia in sabbato post dominicam III. quadragesimae, eamque tanquam partem s. Scripturae agnoscant gravissimi PP. *Chrysostomus* (5), *Ambrosius* (6), *Hieronymus* (7), *Augustinus* (8), qui etiam alibi (9) ait, eam historiam ab inimicis verae fidei de nonnullis codicibus fuisse

(1) L. 5 contra Haeres. c. 22, n. 2.

(2) In dialogo cum Tryphone.

(3) L. 5 de consensu Evang. c. 4.

(4) Vide Scriptur. s. contra incredulos propugn. V. T., p. 4, sect. 1, n. 1.

(5) Homil. 60 in Ioannem.

erasam. Praeterea *Tatianus* et *Ammenius*, qui secundo ecclesiae seculo degebant, historiam hanc canonicam habendam esse censuerunt, eamque harmoniae evangelicae, quam ipsi concinnarunt, inseruere: unde *Eusebius* in canonibus ex *Hammonio* congestis genuinam hanc pericopem praedicat. Quin et *Beza* alioquin huic historiae contrarius, in annotationibus fatetur, et ait: *Ex vetustis nostris codicibus septemdecim, unus dumtaxat illam non habet*. Prostant quoque plures codices graeci antiquissimi a *Millio* anglo allegati, et a *Richardo Simonio* non dissimulati: item latina versio vulgata tam vetus, quam recentior a s. *Hieronymo* emendata, in quibus illa historia descripta legitur.

Porro commoda reddi potest ratio, cur eadem historia de muliere adultera in multis codicibus, maxime in graecis ommissa sit. Monet enim s. *Augustinus* (10), graecos iudicasse, hanc historiam in coetu publico legendam non esse, ne mulieribus peccandi licentia dari videretur. Alii timebant, ne gentiles inde occasionem caperent, christianos, quasi crimina publica excusarent, traducendi, indeque censuerunt male providi, praestare, si hanc historiam in codicibus ommitterent, aut obelo notarent. Aliam adhuc rationem, quare tam haec de muliere adultera in s. *Ioannis* evangelio, quam illa apud s. *Lucam* de sudore Christi sanguineo etc. historia, item caput ultimum s. *Marci*, et alia quaedam non in omnibus sacris codicibus reperiantur, affert *Michaël Medina* (11) dicens, huius omissio-

(6) Epistolarum l. 6, epist. 52 ad Studium.

(7) L. 2 contra Pelagianos.

(8) Tract. 53 in Ioan.

(9) L. 2 de adulteris coniugiis, c. 6.

(10) Ibid. c. 7.

(11) L. 6 de recta in Deum fide, c. 20.

nis « hoc fuisse in causa putarim, quod ea opera (ut scribentibus conlingere solet) non uno eodemque calami impetu fuerint scripta, sed iis, quae prius auctores in vulgus emiserant, multa post deinde iidem sapientibus editionibus addiderint. Unde sequentes christiani priores illos codices cum posterioribus conferentes, corruptionum haereticorum, quae tunc, cum nondum satis compertum fuisset, qui libri sacri habendi essent, frequentissimae erant, timore correpti, quousque res ad plenum examinaretur, easdem additiones in aliarum Scripturarum auctoritatem, non audebant admittere. Verum huiusmodi locos, cum nulli eius temporis haeresi ferrent patrociniū, facile sacri posteriorum saeculorum doctiores auctores, ad sanctas Scripturas pertinere, potuerunt cognoscere. » Ita memoratus eruditissimus auctor.

SCHOLION. Sunt adhuc alii textus quatuor evangeliorum, quos increduli negant, Deo dictante conscriptos esse; sed de his alibi (1) sermo redibit.

16. QUÆRES VII. *Cur s. Augustinus (2) dicat unicum esse evangelium, cum tamen quatuor sint?* R. Etiamsi centum vel mille essent evangelistae, scribentes evangelia, modo scribant eadem et consonantia, multa illa unicum essent evangelium: quemadmodum ex adverso, si unus contraria commemoraret, non esset unum evangelium. Utrum enim unum sit evangelium, aut non unum, eademne sint, an diversa, quae scribuntur. Cum igitur quatuor evangelistae eadem loquantur,

(1) Id per decursum huius operis variis in locis patebit.

(2) Tract. 56 in Ioannem et alibi.

(3) Comment. in cap. 1 epist. ad Galatas.

non est aliud atque aliud evangelium ob personarum differentiam, sed unum ob eorum, qui loquuntur, consonantiam. Hoc sensu s. Augustinus loc. cit., et s. Chrysostomus (3) dicunt, quatuor evangelia stricte loquendo esse unum evangelium. Sic etiam Theophylactus (4), aliique veteres doctores asserunt, traditum nobis a Deo quadriforme evangelium, uno tamen spiritu comprehensum.

17. QUÆRES VIII. *Cur evangelistae in modo et ordine narrandi tantopere inter se discrepent, et saepe narret unus, quod reliqui tacent? Item, num haec scribendi diversitas eos, eorumque scripta non reddat suspecta de falsitate, aut modica sinceritate?* R. Hanc discrepantiam et varietatem narrandi non ex defectu sinceritatis aut veritatis, sed ex diversitate occasionis vel scopi, quem quisque evangelista in scribendo respexit, promanasse. Nam pro suo quisque scopo, et Spiritus s. impulsu ea dumtaxat commemoravit, quae ad illum videbantur conducere; neque de reliquis Christi gestis multum erat sollicitus, cum facta et vita Servatoris nostri, antequam evangelistae ad scribendum se accingerent, palam nota et vulgata fuerint omnibus saltem in Iudaea et finitimis plagis. Hinc non ex historiae legibus, ad quas evangelistae, si fuissent meri historiographi, adstricti fuissent, sed, ut dixi, ex peculiari cuiusque scopo, et occasione scribendi suppeditata iudicium ferendum est (5). Sic Matthaeus, quia in gratiam iudaeorum scripsit evangelium suum, ostensurus, Iesum esse Messiam a prophetis praedi-

(4) Argumento in Evang. Marc.

(5) Vide Hermanni Goldhagen introd. in s. Scriptur. p. 1, n. 47. Item p. 3, n. 32. Arg. 1.

ctum, narrat adorationem magorum, fugam in Aegyptum, infanticidium Herodis etc., quae omnia iam in veteri lege a prophetis praenuntiata fuere. Idem evangelista evangelium suum ab humana Christi generatione incipit, et ostendit, Iesum Christum de semine David ducere genus; quia, ut s. Chrysostomus (1) ait, nihil magis delectare iudaeos poterat, quam si Christum Abrahae et Davidis nepotem diceret. LUCAS vero diverso ordine procedit; nam prius multa commemorat; et tunc demum cap. 3 generationum catalogum texit. Et quia omnibus in commune loquebatur, ad ipsum usque Adam generationes retrorsum numerat. Marcus, quia ea, quae ex Petri praedicantis ore audiverat, in evangelio suo collegit, scripsit quidem accurate, quaecumque tenebat memoria; sed tamen non eo ordine, quo erant a Christo Domino dicta, factave; prout recte observant s. Hieronymus (2), et Eusebius (3). Nam Marcus comes Petri fuit, qui quidem Domini sermones et praecepta, non ea narrandi serie, quam Dominus in illis tradendis tenuisset, docebat: sed eam in praedicando rationem sequebatur, quam ad auditorum animos instituendos opportunam, accommodatamque censuit. Idem etiam de Matthaeo et Luca dici potest. Solus enim Ioannes ex evangelistis rerum a Christo gestarum ordinem in evangelio suo servat, nec usquam ab hoc ordine recedit. Porro s. IOANNES, qui aliorum trium evangelistarum evangelia iam diu antea scripta viderat et approbat, pauca eorum, quae illi scripserant, in evangelio suo attingit, sed eos maxime sermones proponit, in quibus Christus de sua divinitate

disserit. Nam iuxta traditionem veterum Hieronymi de scriptoribus ecclesiast. in Ioanne, Theophylacti, Euthymii etc. praecipua causa scribendi evangelium s. Ioanni fuit, ut suborientes haereses Cerinthi Ebionisque, divinitatem Christi negantes, revinceret. Cum enim hic s. evangelista videret, reliquos tres evangelistas humanam quidem Christi naturam, et ex virgine generationem sufficienter asseruisse; at vero de divinitate attingisse pauca: ex altera vero parte cognosceret, Cerinthi, Ebionis, aliorumque haereticorum docentium, Christum esse purum hominem, haereses serpere, eaque de causa ab omnibus tunc Asiae episcopis, ut de divinitate Christi scriberet, enixe rogaretur, statuit horum votis obsequi, et divinam Servatoris nostri generationem edicere, evangelium suum ita exorsus: *In principio erat Verbum*. Ceterum idem s. evangelista in evangelio suo tempora etiam et annos, festaque praesertim paschalia diligenter annotat. Tres enim priores evangelistae non meminerunt festorum, quibus saepe Dominus ivit Ierosolyman, nec ex eis deprehendi potest, quid post hoc aut illud festum sit gestum a Domino; aut quot annis publice docuerit: quae Ioannes diligenter est persecutus. In eiusdem evangelistae evangelio etiam licet animadvertere Dominum maxime in festis paschalibus suam divinitatem, et profundissima mysteria proposuisse, adeo ut tertio paschate, cum mansisset in Galilaea Capharnai, mysterium eucharistiae (4) proposuerit. Denique solus Ioannes praecipua acta primi anni praedicationis Christi describit. Teste enim s. Augustino (5), et Eusebio (6) amici s.

(1) Homil. 1 in Matthaeum.

(2) In prooemio comment in Matth.

(3) L. 5 Histor. cap. 53.

(4) Ioan. c. 6, v. 5 et seq.

(5) Praefat. in Evang. Ioann.

(6) L. 5 Histor. cap. 48.

Ioannem rogabant, ut ea literis consignaret, quae Christus in ipso praedicationis suae initio gessit, ex. gr. miraculum in nuptiis in Cana Galilaeae patratum (1), *Nicodemi* ad *Iesum* accessum de nocte (2), aliaque, quae *Ioanne Baptista* adhuc in *Aenon* iuxta *Salim* baptizante (3), et necdum incarcerato acciderunt (4); cum reliqui tres evangelistae ea fere sola scriptis fuerint persecuti, quae a Christo post *Ioannem Baptistam* in carcerem iam coniectum gesta fuerunt (5). En varias et diversas causas ac occasiones, quibus evangelistae inducebantur ad scribenda sua evangelia: unde mirum non est, quod non omnes omnia, sed unus narret, quod reliqui tacent.

Ceterum, si quis distincte scire cupit, in quibus locis sui evangelii evangelistae rerum gestarum ordinem sequantur, et in quibus ab hoc recedant, legat harmoniam quatuor evangeliorum, seu synopsis vitae Iesu Christi cronologico ordine deductam a *Calmeto* (6), aut chronicon *Tirini* (7) vel *de la Haye* opus, cui titulus: *Triumphus veritatis*, seu *evangelicae historiae dispositio*: in quo res D. N. I. C. eo ordine, quo gestae sunt, ipsis evangelistarum verbis sic distribuuntur, ut quid singulorum evangelistarum proprium quidve plurium commune sit, illico lectorum oculis pateat.

(1) Ioan. c. 2. (2) Ibid. c. 5. (3) Ibid. (4) Vide *Tirini* chronicon c. 49 de primo anno praedicationis Christi.

(5) Vide *Matth.* c. 4, v. 12. *Marc.* c. 1, v. 44. *Luc.* c. 5, v. 20.

(6) Ad initium tom. 7, ante commentarium in 4 Evangelistas.

(7) Cap. 49.

(8) Notandum est, quod alia lingua sit hebraica, alia chaldaica, et alia ex utraque hac mixta, quam syriacam, vel hierosolymitanam, aut syro-hierosolymitanam appellant. Nam iudaei ante Babylonicam captivitatem usi sunt lingua pure hebraica; tempore autem captivitatis coeperunt lo-

18. QUERES IX. *Qua lingua, seu quo idiomate quatuor evangelistae evangelium suum scripserint?* R. Omnes tam veteres, quam recentiores conveniunt, evangelia s. *Lucae* et s. *Ioannis* graeco sermone originaliter scripta esse. De s. *Matthaei* vero, et s. *Marci* evangelis inter eruditos disceptatur. Communis et longe probabilior sententia est, evangelium s. *Matthaei* primitus scriptum esse lingua hebraica tempore Christi et apostolorum usitata, id est, mixta ex hebraeo et chaldaico sermone, quae alio nomine etiam vocatur *syriaca*, vel *syro-hierosolymitana* (8). Maior est difficultas de evangelio s. *Marci*, utrum originaliter scriptum graece, vel latine? Verisimilior videtur esse opinio, illud a s. *Marco* ab initio scriptum esse latine; prout syri constanter asserunt. Unde in fine syriaci evangelii secundum *Marcum* in hunc modum habetur: *Absolutum est evangelium sacrosanctum nuntium Marci, quod locutus est et annuntiavit in urbe Roma romanae*. Sic etiam *Guilielmus Postellus* se a syris accepisse affirmat. Praeterea *Marcum* primo latine scripsisse evangelium, asserunt praeter *Albertum M.*, *Baronium*, *Seldenum*, etiam *Petrus de Natalibus* (9), *Iacobus de Voragine* (10), *de la Haye* (11), et alii multi.

qui chaldaice non quidem perfecte, sed partim hebraice, partim chaldaice. Hinc orta est tertia lingua mixta, qua iudaei post captivitatem babylonicam usi sunt usque ad Christum, et deinceps, quaeque usus est Christus ipse et apostoli tanquam vernacula. Et haec tertia lingua vocatur syriaca a regione, ubi eius usus maxime viguit, vel hebraea in sensu latiore; prout quandoque etiam in s. Scriptura (Ioan. c. 5, v. 2. Item c. 19, v. 15, et 17) appellatur, vel hierosolymitana, aut syro-hierosolymitana a civitate iudaeorum praecipua.

(9) In catalogo sanctorum l. 4, c. 86.

(10) Serm. de s. *Marco*.

(11) In apparatu evang. cap. 54.

Interim non negamus, s. *Marcum* brevi postea in Italia evangelium suum graece, priusquam in Aegyptum iret, vertisse, uti plures affirmant. Fert nimirum antiqua traditio, quod s. *Marcus* evangelium a se Romae latine scriptum, postea, cum Aquileiae moraretur, missus illuc a s. *Petro* ad erigendam ibi ecclesiam, in graecum idioma translulerit: et sic videntur aliqua ratione conciliari posse opiniones auctorum, quorum multi dicunt, a s. *Marco* evangelium scriptum esse latine, alii vero graece. An vero ipsum originale latinum Aquileiae diutius asservatum, Venetias demum sit translatum, ibique etiam asservetur, in sequenti quaestione X. mox pluribus referemus.

Ceterum de lingua, qua quatuor evangelistae suum evangelium scripserunt, plura praeter alios erudite disserunt *Calmetus* (1) et hagiographi antuerpienses (2).

19. QUERES X. *An autographum seu originaliter scriptum evangelium s. Marci Venetiis etiamnum extet? Aut, an autographa reliquorum trium evangelistarum alicubi etiamnum extet?* R. De reliquorum trium evangelistarum (nempe ss. *Matthaei*, *Lucae* et *Ioannis*) autographis evangelis nobis nil constat, quod alicubi etiamnum extet: de autographo autem evangelio s. *Marci*, id est, ipsius huius evangelistae manu exarato non pauci magni nominis auctores, inter quos est etiam *Cornelius a Lap.* (3), asserunt illud Venetiis asservari, haecque (teste eodem *Cornelio*) est apud venetos antiqua traditio. Porro modo memo-

(1) Praefat. in libros novi Test. *textus original. N. T.* Item praefat. in evang. s. *Matthaei* et s. *Marci*.

(2) Tom. 4 septembr. ad diem 21.

(3) Ad finem praefationis commentarii in evang. s. *Marci*.

rati auctores ferunt autographum hoc evangelium Aquileiae a s. *Marco* relictum (4) indeque Venetias translatum esse. Cum enim *Attila* rex hunnorum Aquileiam per triennium obsessam cepit, vastavitque, tunc multi aquileienses *Attilam* fugientes, concesserunt ad vicinas Adriatici maris paludes, ibique Venetias admirabili opere condiderunt sub annum Christi 452, teste *Baronio*. Atque hac occasione laudati auctores factum esse existimant, ut autographum evangelium s. *Marci* Aquileia transferretur Venetias. Porro quidam aiunt, idem autographum quod Venetiis asservatur, conscriptum esse latine, alii vero graece. Eruditissimus *Montfauconius* oculatus testis huius pretiosi autographi duo de eo refert, silentio non praetereunda. Primo asserit, illud descriptum esse in papyro aegyptiaca, non vero in membranis: dein elementa in eo esse latina, censet tum ex proprio visu, tum ex historia huius codicis scripti (5). Sed *Maximilianus Missonus* (6), qui pariter hoc evangelium autographum s. *Marci* Venetiis inspexit, et perpendit cum abbate *Litta*, bibliothecae s. *Marci* custode, observat, huius codicis paginas ex membranis compactas esse, volumen autem graecis literis esse conscriptum. Deprehendisse enim sibi visus est graecam literam Δ et Σ , imo vocabulum KATA graecis literis exaratum. Verum *Montfauconius* hanc opinionem refutat, ostendens, literas illas omnes latinas esse, et quod *Missonus* KATA legit, re tamen scribi BATA: itemque quod ille Δ graecum suspi-

(4) Vide praecedentem n. 18.

(5) *Montfauconius*. Diarium italic. cap. 4, p. 55, etc.

(6) Ep. 16. Itineris sui italici edita an. 1705.

catus est, latinum esse A, cuius media linea evanuerit. Observavit etiam *Montfauconius* alicubi D et R latinorum, quarum literarum sane alia est forma apud graecos. Neque mirandum, quod duo hi testes oculati in legendo illo codice tantopere discreparint, cum ob vetustatem in eo literae ita corrosae et exesae sint, ut satis distingui et expedite legi nequeant; prout *Cornelius a Lap.* loc. cit., aliique testantur. Certe ipse *Montfaucon* fatetur, nullum se alium vetustiorum codicum unquam vidisse, nullas habentem vocum distinctiones, agglutinari autem adeo eius folia humiditate et situ, ut ne separari quidem possint. Quadratum est manuscriptum hoc, cuius papyrus marcescentium folio-

rum colorem exhibet. Denique hombycinum esse hunc codicem, nemo ultra ambigit post sedulam illius inspectionem factam a *dom. Scipione Maffeo*, teste earum rerum maxime idoneo. Haec eruditionis causa commemoranda censui, ultimatum iudicium erudito lectori relinquens. Plura de eodem codice referunt *Calmetus* (1), aliique citati auctores.

Atque haec de evangelii generatione spectatis interim dicta sufficiant. Alias autem difficultates, aut incredulorum contra IV. sancta evangelia in communi considerata obiectiones solvit cl. *Hermann Goldhagen* (2), vel nos ipsi in decursu huius operis discutiemus.

SECTIO II.

DE DIVINITATE CHRISTI EX EVANGELIO DEMONSTRATA

Cum deistae, aliique christianae religionis hostes, negando et pernegando Christi divinitatem, totum christianismum subruere ac funditus evertere allaborent; operae pretium erit, primum hoc dogma nostrae religionis in solutione sequentium quaestionum prius stabilire, antequam ad confutanda alia incredulorum dicta et blasphemias contra sancta quatuor evangelia progrediamur.

20. QUÆRES I. *An historia evangelica de vita, gestisque Christi Domini sit moraliter certa, ut adeo eam nemo prudenter in dubium vocare possit?* R. Affirmative. Nam ita argumentor (3): Historia evangelica

(1) Praefat. in comment. evang. s. *Marci*.

(2) Introd. in s. Script. p. 3, n. 6, et seqq.

(3) Idem argumentum etiam alii theo-

vitae gestorumque Christi pares, imo firmiores veritatis characteres habet, quam quaevis alia profana historia, si consideremus, *quinam et quid* scripserint de Christo, *quando et quo fine ac animo* scripserint, et *quo illis repugnante vel credente*. Si ergo non possumus reicere historias profanas pro indubitatis communiter habitas, v. g. annales graecorum et romanorum; multo minus prudenter dubitare possumus de veritate historiae evangelicae vitae gestorumque Christi. Cons. patet. Antec. prob. dictos characteres enumerando. I. Scripserunt historiam evang. vitae gestorumque Christi testes, et alii quidem de visu, ut

logi ad veritatem historiae evang. de vita gestisque Christi demonstrandam adhibent, illudque cl. *Josephus Widman* tom. 1. Institut. theol. c. 1, art. 4, § 31, summam refert.

Matthaeus et *Ioannes*, alii autem de certo auditu, ut *Marcus* et *Lucas*; adeoque de rebus, quarum ipsimet fuerunt TESTES OCVLATI ET AURITI. II. Scripserunt, quae PALAM GESTA, et OMNIBUS NOTA ERANT etc. III. Scripserunt STATIM POST MORTEM CHRISTI, cum in recenti adhuc memoria versaretur vita illius: proinde si falsum dixissent, illico potuissent de falsitate convinci. Ex. gr. si ea, quae s. *Matthaeus* tribus vel quatuor annis post mortem Christi scripsit de Bethlemitico infanticidio *Herodis* et secuta inde fuga Christi in Aegyptum, eiusque reditu post *Herodis* mortem, et commoratione in Nazareth ex metu *Archelai*, qui erat *Herodis* filius (1) etc., si, inquam. s. *Matthaeus* haec confinxisset. num. quid non omnes hierosolymitani. bethlemitae. nazaraei 50 aut 60 annos nati, praesertim pharisaei et scribae mendacium ei exprobrassent? IV. Scripserunt SOLO VERITATIS AMORE. Nulla enim hic potest esse suspicio de malitia, fallendi animo, aut commodi acquirendi spe, cum manifeste praeviderent aliud se lucrum ex descriptione et praedicatione sua ab obstinatis iudaeis et gentibus haud relatuuros, nisi supplicia et mortem. V. Scripserunt STYLO SIMPLICI SINE FUCO, et tantum abfuit, ut quidquam dissimularent, ut vel IPSAS CHRISTI INFIRMITATES HUMANAS, taedium, agoniam, mortem exprimerent. Sic ex. gr. s. *Lucas* (2) simpliciter ait: *Ducebantur autem et alii duo nequam cum eo, ut interficerentur. Et postquam venerunt in locum, qui vocatur Calvariae, ibi crucifixerunt eum; et latrones, unum a dextris et alterum a sinistris.* En! non dissimulat evangelista genus et circumstantias mortis Christi maxime probrosas, sed sincero et

simplici stylo easdem narrat. Unde *Eusebius* (3) rectissime inquit: *Si enim hoc illis (nempe apostolis et evangelistis)... propositum fuit, ut mendaciis suum praeceptorem ornarent, cur illi ea, quae modo diximus, adscripserunt?* (dixerat autem antea *Eusebius*, quae evangelistae de Christi passione tradiderunt), *aut cur posteris indicarunt, et quod tristis fuerit, et taedio affectus, et animo turbatus? aut quod ipsi (discipuli) illum deseruerint, atque abierint? aut quod, qui omnibus ipsis praepositus fuerat, apostolus illius, et discipulus Petrus... ter illum abiuraverit? etc.* Et *Origenes* contra *Celsum* (4) sinceritatem et simplicitatem styli, qua evangelistae in scribendo usi sunt, dilaudat his verbis: *Opinor... Iesum ideo voluisse uti talibus dogmatum suorum doctoribus (evangelistis), ne quem locum haberet suspicio, quasi artibus essent instructi sophisticis, sed evidenter intelligi posset, nihil fuci latuisse in animo tanta simplicitate scribentium etc.* VI. Scripserunt NEMINE IPSIS REPUGNANTE, seu reprehendente, quod falsa scriberent. Imo ne ipsi quidem postea haeretici, dum argumentis ex evangelio petitis refellerentur, eo scuto se defenderunt, quod historia evangelica fide digna haud esset, sed relicta huic auctoritate, ad alias responsiones et effugia sese converterunt; prout theologis, aliisque rerum polemicarum peritis notum est. VII. Scripserunt, quae etiam consequentium deinceps aetatum auctoritate confirmata, nusquam interrupta serie traditionis, ad nostra usque tempora promanarunt; nam his testimoniis evangelistarum postea crediderunt innumeri viri, ac sapientissimi post summam diligentiam adhibitam (quales viri

(1) *Matth.* c. 2, v. 16, usque ad c. 5.

(2) *Luc.* c. 25, v. 52 et 53.

(3) *Evang. demonstrat.* l. 3.

(4) *Contra Celsum*, l. 5.